

www.e-rara.ch

Marc. Tul. Ciceronis Epistolarum familiarium libri XVI

Cicéron

Friburgi Helvetiorum, 1608

Bibliothèque cantonale et universitaire Fribourg

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-135309>

Lib. II. M. T. C. curioni S.P.D.I.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

coram iocari. Quare fac, ut quamprimum venias; neque in Apuliam tuam accedas, ut possimus saluum te venisse gaudere. Nam illo si veneris, tanquam Vlysses, cognosces tuorum neminem. Vale.

M. T. C. EPISTOLARVM
FAMILIARIVM LIB. II.

M. T. C. CVRIONI S. P. D. I.



Vanquam me nomine negligentiae suspectum tibi esse doleo, tamen non tam mihi molestū fuit, accusari abs te officium meum, quam incundum, requiri: praesertim cum, in quo accusabar, culpa vacarem: in quo autem desiderare te significabas meas literas, praeter ferres perspectum mihi quidem, sed tamen dulcem, & optatum amorem tuum. Equidē neminem praetermisi, quem quidem ad te peruenturum putarem, cui literas non dederim. Etenim quis est tam in scribendo impiger, quam ego? à te verò bis, terūe ad summum, & eas per breues accepi. Quare si iniquus es in me iudex, condemnabo eodem ego te crimine: sin me id facere noles, te mihi equum praebere debebis. Sed de literis haec lenius. Non enim vereor, ne non scribendo te expleam: praesertim si in eo genere studium meum non aspernabere. Ego te absuisse tandiu à nobis & doleo, quod carui fructu incundissimae consuetudinis tuae, & lator, quod absens omnia cum maxima dignitate es consecutus: quod quē in omnibus tuis rebus, me eis optatis fortunare respondit. breue est, quod me tibi precipere meus incredibilis in te amor cogit: tanta est expectatio animi, vel ingenij tui, ut ego te obsecrare, obtestari quō

EPIST. FAM.

non dubitem, sic ad nos confirmatus reuertare, ut quæ expectationem tu concitasti, hanc sustinere, ac tueri possis. Et quoniam meam tuorum in me meritorum memoriam nulla unquam delebit obliuio, terogo, ut memineras, quantacumq. tibi accessione fient & fortune, & dignitatis eas te non potuisse consequi nisi meis pueris olim fidelissimis, atq. amantissimis cõsilijs paruisses. Quare hoc animo in nos esse debbis, ut ætas nostra iam ingrauescens, in amore atq. in adolescentia conquiescat tua. Vale.

M. T. C. CVRIONI S. P. D. 2.

C Rati teste priuatus sum amoris summi erga te mei, patre tuo clarissimo viro: qui cum suis laudibus, tum vero te filio si perasset omnium fortunam, si ei contigisset, ut te ante videret, quam è vita disticeret. Sed spero nostram amicitiam non egere testibus, tibi patrimonium Dyfortunent. Me certe habebis, cui carus aq. ues sis, & perincondus, ac fuisti patri.

M. T. C. CVRIONI S. P. D. 3.

R Vpe studium non defuit declarandorū munerum tuo nomine, sed nec mihi placuit nec cuiquā inuorum, quidquā te absente fieri, quod tibi cum venisses non esset integrū. Meam quidē sententiam aut scribam ad te postea pluribus: aut, ne ad eam meditare, imparatū te offendam: coramq. contra istā tuam rationē meam dicam: ut aut te in meam sententiam adducam, aut certē testatum apud animum tuum relinquā quid senserim. ut si quādo (quod nolim) displicere tibi tuum consilium coeperit, possis meum recordari. Bruti tamen sic habeto, in eum statum temporum tuum reditum incidere, ut is bonis, quæ tibi naturā, studio, fortunā da-

ta sunt

ta sunt, facilius omnia, quæ sunt in Repub. amplissima consequi possis, quàm muneribus: quorum neq. facultatem quisquam admiratur (est enim copiarum non virtutis,) neque quisquam est, quin sanietate iam defessus sit. Sed aliter, atq. ostenderam, facio, qui ingredior ad explicandam rationem sententiæ meæ. Quare omnem hanc disputationem in aduentum tuum differo. Summa scito in expectatione te esse: eaq. à te expectari, quæ à summa virtute, summoq. ingenio expectanda sunt. ad quæ si es, ut debes, paratus, quod ita esse confido, plurimis, maximisq. muneribus & nos amicos, & civeis tuos universos, & Remp. afficies. Illud profecto cognosces, mihi teneque cariorem, neque incundiorem esse quenquam. Vale.

M. T. C. CVRIONI

S. P. D. 4.

E Pistolarum genera multa esse non ignoras: sed unum illud certissimum, cuius causa inuenta res ipsa est, ut certiores faceremus absentes, si quid esset, quod eos scire, aut nostra, aut ipsorum interesset. Huius generis literas à me profecto non expectas. domesticarum enim rerum tuarum habes & scriptores, & nuntios. In meis autem rebus nihil est sanè novi. Reliqua sunt epistolarum genera duo, quæ me magnopere delectant: unum familiare, & iocosum: alterum senerum, & graue. Viro me minus deceat, uti, non intelligo. iocerne tecum per literas? cuiem me hercule non puto esse, qui temporibus his ridere possit. an grauius aliquid scribam? quid est, quod possit grauius à Cicerone scribi ad Curionem, nisi de Rep. atq. in hoc genere hæc mea causa est, ut neq. ea, quæ nunc sentio, velim scribere. Quamobrem, quoniam mihi nullum scribendi argu-

EPIST. FAM.

mentum relictum est, utar ea clausula, qua soleo: teq; ad studium summæ laudis cohortabor. Est enim tibi gravis aduersaria constituta, & parata incredibilis quedā expectatio: quam tu una refacilimè vinctes, si hoc statueris, quarum laudum gloriam adamaris, quibus artibus eæ laudes comparantur, in ijs esse elaborandum. In hanc sententiam scriberem plura, nisi te tua sponte satis incitatum esse considerem, & hoc, quicquid attingi, non feci inflammandi tui causā, sed testificandi amoris mei. Vale.

M. T. C. CVRIONI

S. P. D. 5.

HÆc negotia quomodo se habeant, ne epistola quis dē narrare audeo. Tibi, exsi ubicunq; es (ut scripsi ad te antea) in eadem es navi, tamen quod abes, gratulor: vel quia non vides ea, quæ nos, vel quod excelsior, & illustri loco sita sit laus tua in plurimorū, & sociorum, & ciuium conspectu: quæ ad nos, nec obscuro, nec vario sermone, sed & clarissima, & una omnium voce perfertur. Vnum illud nescio, gratulerne tibi, an timeam, quod mirabilis est expectatio redditus tui: non quò verear, ne tua virtus opinioni hominum non respondeat: sed mehercule ne, cū veneris, non habeas iam quod cures: ita sunt omnia debilitata iam propè, & extincta. sed hæc ipsa, nescio rectēne sint literis commissa. Quare cetera cognosces ex alijs. Tu tamen, siue habes aliquam spem de Repub. siue desperas, ea para, meditare, cogita, quæ esse in eo ciue, ac viro debent, qui sit Rempub. afflictam, & oppressam miseris temporibus, ac perditis moribus, in veterem libertatem, ac dignitatem vñdicaturus. Vale.

M. T.

M. T. C. CURIONI

S. P. D. 6.

Nondum erat auditum, te ad Italiam aduentare, cum Sextum Iulium Milonis mei familiare cum his ad te literis misi: sed tamen cum appropinquare tuus aduentus putaretur, & te iam ex Asia Roma versus profectum esse constaret, magnitudo rei fecit, ut non vereremur, ne nimis cito mitteremus: cum has ad te quamprimum literas perferri magnopere vellemus. Ego si mea in te essent officia solum Curio tanta, quanta magis à te ipso predicari, quam à me ponderari solent, verecundius à te, si qua magna res mihi petenda esset, contenderem. **GRAVE EST** enim homini pudenti petere aliquid magnū ab eo, de quo se benemeritum putet, ne id, quod petat, exigere magis, quam rogare, & in mercedis potius, quam beneficii loco numerare videatur. Sed quia tua in me vel nota omnibus, vel ipsa nouitate meorum temporum clarissima, & maxima beneficia extiterunt: **EST QVE ANIMI** ingenui, cui multū debeas, eidem plurimum velle debere: non dubitavi id à te per literas petere, quod mihi omnium esset maximū, maximeq; necessarium. Neq; enim sum veritus, ne sustinere tua in me vel innumerabilia beneficia non possem: cum præsertim considerem, nullā esse gratiam, quam vel non capere animus meus accipiendo, vel remunerando, cumulatōque illustrare possit. Ego omnia mea studia, omnem operam, curā, industriam, cogitationem, mentem denique omnem in Milonis consulatu fixi, & locavi: statuiq; in eo me non officij solum fructū, sed etiam pietatis laudem debere querere. Neq; verò cuiquā salutem, ac fortunas suas tanta cure fuisse unquam puto, quanta mihi sit

EPIST. FAM.

honoris eius, in quo omnia mea studia posita esse decreui. huic te unum tanto adiumento esse volueris, posse intelligo, ut nihil si præterea nobis requirendum. Habemus hæc omnia, bonorum studium conciliatū ex tribunatu, propter nostram (ut te spero intelligere) causam: vulgi, ac multitudinis, propter magnificentiam munerū, liberalitatemq; natura: iuuentutis, & gratiosorum in suffragiis studia, propter ipsius excellentem in eo genere vel gratiam, vel diligentiam: nostrā suffragationem si minis potentem, at probatam tamen & iustam, & debitam, & propterea fortasse etiam gratiosam. Dux nobis, & author opus est, & eorum ventorum, quos proposui, moderator quidam, & quasi gubernator. quasi ex omnibus unus exoptandus esset, quem tecum conferre possemus, non haberemus. Quamobrem si me memorem, si gratum, si bonū virum, vel ex hoc ipso, quod tam vehementer de Milone laborem, existimare potes: si dignum deniq; tuis beneficijs iudicas, hoc à te peto, ut subuenias huic meæ solitudini, & huic meæ laudi, vel, ut verius dicam, propriæ salutis tuum studium dices. De ipso T. Annio tantum tibi polliceor, te maioris animi, gravitatis, constantie, benevolentie erga te, si complecti hominem volueris, habiturum esse neminem. Mihi verò tantum decoris, tantum dignitatis adiunxeris, ut eundem te facile agnoscam fuisse in laude mea, qui fueris in salute. Ego ni te videre scirē, cum hæc ad te scriberem, quantum officij sustinerem, quantum opere mihi esset in hac petitione Milonis omni non modo contentione, sed etiam dimicatione elaborandum, plura scriberem: nunc tibi omnem rem, atque causam, meq; totum, commendando, atque trado. unum hoc sic habeto: si à te hanc rem impetraro, me pene plus tibi, quam ipsi Miloni debiturum.

turum. non enim mihi tam mea salus chara fuit, in qua
 præcipuè sum ab illo adiutus, quam pietas erit in refe-
 rendâ gratia iucunda. eam autem tui vniûs studio me
 assequi posse confido. Vale.

M. T. C. PROCONSUL CYRIO-
 NI TRIBVNO PL.

S. P. D. 7.

S Era gratulatio reprehendi non solet: præsertim
 si nulla negligentia prætermissa est. longe enim
 absum, audio sero, sed tibi & gratulor, & ut
 sempiternæ laudi tibi sit iste tribunatus, ex p. o. Te quæ
 hortor, ut omnia gubernes, & moderere prudentia tua:
 ne te auferant aliorum consilia nemo est, qui tibi sapien-
 tius suadere possit te ipso. nunquam labere, si te audies.
 non scribo hoc temere: cui scribam video. non animam,
 non consilium tuum. non vereor, ne quid timide,
 ne quid stulte facias: si ea defendes, quæ ipse recta esse
 senties. Quod in id Reip. tempus non incidere, sed ve-
 neris (iudicio enim tuo, non casu in ipsam discrimen-
 rerum contulisti tribunatum tuum) profecto vides quan-
 ta vis in Repub. sit temporum quanta varietas rerum.
 quam incerti exitus, quam flexibiles hominum volun-
 tates, quid insidiarum, quid vanitatis in vita sit, non
 dubito quin cogites. sed amabo te. cura. & cogita. nihil
 noui, sed illud idem, quod initio scripsi. tecum loque-
 re, te adhibe in consilium, te audi, tibi obtempera. alte-
 ri qui melius dare consilium possit, quam tu. non faci-
 le inueniri potest: tibi verò ipse certe nemo melius da-
 bit. Dii immortales, cur ego non adsum vel spectator
 laudum tuarum vel particips, vel socius, vel minister
 consiliorum? tametsi hoc minime tibi deest: sed tamen
 C + effice-

EPIST. FAM.

efficeret magnitudo, & vis amoris mei, consilio te & possem iuvare. Scribam ad te plura alias. paucis enim diebus eram missurus domesticos tabellarios, ut quoniam sane feliciter, & ex mea sententia Rempub. gessimus, unis literis totius astatu res gestas ad Senatum perscriberem. De sacerdotio tuo quantam curam adhibuerim, quanquam difficili in re, atque causa, cognoscas ex ijs literis, quas Thrasoni liberto tuo dedi. Te mi Curio pro tua incredibili in me benivolentia, meaque item in te singulari, rogo, atque oro, ne patiare mihi quicquam ad hanc provincialem molestiam temporis prorogari. Presens tecum egi, cum te tribunum pleb. isto anno fore non putarem. Itaque petivi saepius per literas: sed tam quasi à Senatore nobilissimo, tum adolescente etiam gratiosissimo, nunc à tribuno pleb. & à Curione tribuno: non ut decernatur aliquid novi, quod solet esse difficilius, sed ut ne quid novi decernatur: & ut Senatusconsultum, & leges defendas: eaque mihi conditio maneat, qua profectus sum. hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

M. T. C. PROCONSVL, M. COE-
LIO S. P. D. 8.

Quid? tu me hoc tibi mandasse existimas, ut mihi gladiatorum compositiones, ut vadimonia dilata, & Chresti compilationem mitteres, & ea quae nobis, cum Romani sumus, narrare nemo audeat? Vide quantum tibi meo iudicio tribuam: nec me hercule iniuria. πολιτικῶν τε γὰρ enim te adhuc neminem cognovi: ne illa quidem curo mihi scribas, quae maximis in rebus Reipub. geruntur quotitue, nisi quid ad me ipsum pertinebit: scribent alij, multi nuntiabunt, perferet multa etiam

etiam ipse rumor. Quare ego nec praterita, nec praesentia abs te, sed ut ab homine longè in posterum prospiciente futura expecto: ut ex tuis literis cum formam Reipublicae viderim, quale aedificium futurum sit, scire possim. neque tamen adhuc habeo, quod te accussem: neque enim fuit, quod tu plus providere posses, quam quivis nostrum: inprimisq; ego, qui cum Pompeio complureis dies nullis in alijs, nisi de Republica sermonibus versatus sum. quae nec possunt scribi, nec scribenda sunt. tantum habeto, civem egregium esse Pompeium: & ad omnia, quae providenda sunt in Repub. & animo, & consilio paratum. Quare da te homini: complectetur, mihi crede. iam ydem illi & boni, & mali cives videntur, qui nobis videri solent. Ego cum Athenis decem ipsos dies fuisset, multumque mecum C. noster Caninius, proficiscebar inde pridie nonas Quintileis, cum hoc ad te literarum dedi. tibi cum omnia mea commendatissima esse cupio, tum nihil magis, quam ne tempus nobis provincia prorogetur. in eo mihi sunt omnia. quid, quando, & quo modo, & per quos agendum sit, tu optime constitues. Vale.

M. T. C. COELIO RVFO AEDILI
CURVLI DESIGNATO

S. D. P. 9.

Plurimum tibi, ut debeo, gratulor, letorq; cum presenti, tum etiam sperata tua dignitate: serius, non negligentia mea sed ignoratione rerum omnium. in his enim sum locis, quo propter longinquitatem, & propter latrocinia tardissime omnia perferuntur. Et cum gratulor, tum vero, quibus verbis tibi gratias agam, non reperio: quod ita factum sit, ut deceris nobis,
C 5 quem.

EPIST. FAM.

quemadmodum scripseras ad me, quem semper ridere possemus. itaque cum primum audiui, ego ille ipse factus sum, scis quem dico, egi quæ omneis illos adolescentibus quos ille iaculat, difficile est loqui. te autem contemplanus absentem & quasi tecum coram loquerer. Non adeo pol quantam egeris rem, neq; quantum facinus feceris quod quia præter opinionem mihi acciderat, referebam me ad illud. Incredibile hoc factum obijciunt repens vero inaccessi omnibus laetitijs, in quo cum obiurgarer, quod nimio gaudio penè desperem, ita me defendebam. ego voluptatem habui nimiam. quid queris? dum illum rideo penè sibi factus ille. Sed hæc pluribus, multaq; alia & de te, & ad te, cum primum ero aliquid nactus otij. Te vero mi Rufe, dilige, quem mihi fortuna dedit amplificatorem dignitatis meæ, ultorem non modo inimicorum, sed etiam invidorum meorum, ut eos parum scelerum, suorum, parum etiam ineptiarum poeniteret. Vale.

M. T. C. IMPERATOR, M. COE-
LIO ADILI CVRVLI
DESIGNATO.

S. P. D. IO.

TU vide, quàm timide, quàm ad me literæ non perferantur. Non enim adduci possum, ut abs te, posteaquam adilis factus es, nullas putem datas: præsertim cum esset tanta res, tantæ gratulationes de te, quia quod sperabam: de nihilo (balbus enim sum) quod non putaram. Atqui sic habeto, nullam me epistolam accepisse tuam post comitia ista præclara, quæ me letitia extulerunt ex quo vereor, ne idem eveniat in meas literas. equidem nunquam domum nisi unam epistolam, quin esset ad te altera: nec mihi est te in-
cundus

eundius quicquam, nec charius. Sed balbi non sumus:
 ad rem redeamus. Ut optasti, ita est: velles enim, ais, ita-
 tum modo, ut haberem negotij, quod esset ad laureolam
 satis. Parthos times, quia diffidis copijs nostris: ergo
 ita accidit. nam Parthico bello nuntiato, locorum,
 quibusdam angustijs, & natura montium fretus, ad
 Amanum exercitum adduxi, satis probe ornatum,
 auxilijs, & quadam auctoritate apud eos, qui me non
 norant, nominis nostri. multum est enim in his locis.
 Hicne est ille, qui urbem? quem Senatus? nosti cetera.
 Cum venissem ad Amanum, qui mons mihi cum Bi-
 bulo communis est, diuisus aquarum diuortijs, Cassius
 noster, quod mihi magnæ voluptati fuit, feliciter ab
 Antiochia hostem reiecerat. Bibulus provinciam acce-
 perat. Interea cum meis copijs omnibus vexavi Ama-
 niensis hosteis sempiternos: multi occisi, capti, reliqui
 dissipati: castella munita improniso aduentu capta, &
 incensa. ita victoria iusta imperator appellatus apud
 Issum (quo in loco sæpè, ut ex te audini, Cilitarchus tibi
 narravit, Darium ab Alexandro esse superatum) ab-
 duxi exercitum ad infestissimam Cilicie partem. Ibi
 quintum & vigesimum iam diem aggeribus, vineis,
 turribus oppugnabam oppidum munitissimū Pindenis-
 sum, tantis operibus, tantoque negotio, ut mihi ad sum-
 mam gloriam nihil desit, nisi nomen oppidi: quod si, ut
 spero, cepero, tum verò literas publice mittam. hac ad
 presentem scripsi, ut speres te assequi id, quod optas-
 ti. Sed ut redeam ad Parthos, hac aſtas habuit hunc
 exitum satis felicem. ea, quæ sequitur, magno est in ti-
 more. quare mi Ruse vigila, primum, ut mihi succeda-
 tur: sin id erit, ut scribis, & ut ego arbitror, serius: illud
 quod facile est, ne quid mihi temporis prorogetur. De
 Repub.

EPIST. FAM.

Repub. ex tuis literis, ut antea tibi scripsi, cum presentia tum etiam futura magis expecto. Quare, ut ad me omnia quam diligentissime perscribas, te vehementer rogo. Vale.

M. T. C. IMPERATOR, M. COE-
LIO ÆDILI CURVLI

S. P. D. II.

Putaresne unquam accidere posse, ut mihi verba deessent, neque solum ista vestra oratoria, sed hæc etiam lævia nostratia? desunt autem propter hanc causam, quod mirifice sum sollicitus, quidnam de provinciis decernatur. Me mirum desiderium tenet urbis: incredibile meorum: atque in primis satietas actæ provincie: vel quia videmur eam famam consecuti, ut non tam accessio querenda, quam fortuna metuenda sit: vel quia totum negotium non est dignum viribus nostris: quia maiora in Repub. onera sustinere & possum, & solcam: vel quia belli magni timor impendet: quod videmur effugere, sed ad constitutam diem decedemus. De pantheris, per eos qui venari solent, agitur mandato meo diligenter: sed mira paucitas est: & eas, quæ sunt, valde aiunt queri, quod nihil cuiquam insidiarum in mea provincia, nisi sibi fiat. Itaque constituisse dicuntur in Cariam ex nostra provincia decedere. Sed tamen sedulo fit, & in primis à Patisco. quicquid erit, tibi erit, sed quid plane esset, nesciebamus. Mihi mehercule magne curæ est edilitas tua. Ipsa dies me admonebat, scripsi enim hæc ipsis Megalensibus. tu velim ad me de omni Reip. statu quam diligentissime perscribas: ea enim certissima putabo, quæ ex te cognouero. Vale.

M. T.

M. T. C. IMPERATOR, M. COE-
LIO AEDILI CVRVLI

S. P. D. 12.

Sollicitus quidem eram de rebus urbanis: ita tu-
multuose conciones, ita molestæ *Quinquatrijs* af-
ferebantur. nam citiora nondum audiebamus. Sed
tamen nihil me magis sollicitabat, quam in his mole-
stis non me, si quæ ridenda essent, ridere tecum; sunt
enim multa, sed ea non audeo scribere. Illud molestè
fero, nihil me adhuc de his rebus habere tuarum li-
terarum. Quare, etsi cum tu hæc leges, ego iam annum
munus consecero, tamen obvia mihi velim sint literæ
tue, quæ me erudiant de omni Rep. non hospes planè ve-
niam. hoc melius, quam tu, nemo facere potest. *Dioge-*
nes tuus, homo modestus, à me cum *Philone Pessinun-*
te discessit. Iter habebant ad *Deiotarum* regem: quan-
quam omnia nec benigna, nec copiosa cognorant. *Ur-*
bem mi *Rufe* cole: & in ista luce vine. omnis enim pe-
regrinatio. quod ego ab adolescentia iudicavi, obscura,
& sordida estis, quorum industria *Romæ* potest esse il-
lustris. quod cum probe scirem, utinam in sententia
permasissem. cum una mehercule ambulatiuncula,
atque uno sermone nostro omnes fructus provincie non
confero. spero me integritatis laudem consecutum. Non
erat minor ex contemnenda quam ex conservata pro-
vincia spes triumphi: in qua satis gloriose triumphar-
em, si non essem tandiu quidem in desiderio rerum mi-
hi charissimarum. sed, ut spero, propediem te videbo.
tu mihi obuiam mitte epistolas te dignas. Vale.

M. T. C. COELIO AEDILI CVRVLI

S. P. D. 13.

Raras

EPIST. FAM.

R Arastuns quidem (fortasse enim non perferuntur) sed suavis accipio literas: vel quas proximè acceperam, quàm prudenteis, quàm multi & officij, & consilij? eisi omnia sic constitueram mihi agenda, ut tu admonebas, tamen confirmantur nostra consilia, cum sentimus prudentibus, fideliterq; suadentibus idem videri. Ego Appium, ut sæpè tecum locutus sum, valdè diligo: meq; ab eo diligi statim cœptum, esse, ut similitatem deposuimus, sensi. Nam & honorificus in me consul fuit, & suavis amicus, & studiosus studiorum etiam meorum. mea verò officia ei non defuisse, tute es testis. quoniam *καριχὸς καὶ πρὸς* (ut opinor) accidit Phania: & me hercule etiam pluris eum feci, quòd te amari ab eo sensi. Iam me Pompeij totum esse scis: Brutum à me amari intelligis. quid est cause, cur mihi non in optatis sit complecti hominem florentem atate, opibus, honoribus, ingenio, liberis, propinquis, affinibus, amicis, collegam meum præsertim, et in ipsa collegij laude, & scientia studiosum mei? Hæc ego pluribus scripsi, quòd mihi significabant tuæ literæ subdubitare, quæ essem erga illum voluntate. credo te audisse aliquid: falsum est mihi crede, si quid audisti. Genus institutorum, & rationum mearum dissimilitudinem nonnullam habet cum illius administratione provinciarum: ex eo quidam suspicati fortasse sunt animorum contentione, non opinionum dissensione me ab eo discrepare. Nihil autem feci unquam, neque dixi, quod contrà illius existimationem esse vellem. Post hoc negotium autem, & temeritatem nostri Dolabellæ, deprecatorem me pro illius periculo præbeo. Erat in eadem epistola veteranus civitatis. gaudebam sanè, & congelasse nostrum amicum letabar otio. Extrema pageilla pupugit me tuo chirographo. quid ais? Cæsarem

scirem nunc defendit Curio? quis hoc putaret præter me? nam uia in uia putauit. Di immortales quam ego risum nostrum desidero. Mihi erat in animo, quoniam iurisdictionem confeceram, ciuitates locupletaram publicanis etiam superioris lustris reliqua sine sociorum, nulla querela conseruaram, priuatis, summis, infimis fueram incundus, proficisci in Ciliciam Nonis Maij: et cum primâ æstiuâ attigissem militaremque rem collocassem decedere ex senatuscon. Cupio te adilem uidere: miroque desyderio me urbs afficit, & omnes mei, tuque imprimis. Vale.

M. T. C. IMPERATOR, M. COELIO ÆDILI CURVLI

S. P. D. 14.

M. Fabio viro optimo, & homine doctissimo familiarissime utor, mirificeque eum diligo, cum propter summum ingenium eius, summamque doctrinam, tum propter singularem modestiam. eius negotium sic uelim suscipias, ut si esset res mea. Noui ego vos magnos patronos, hominem occidat oportet, qui uestra opera uti uelit. sed in hoc homine nullam accipio excusationem omnia relinques si me amabis, cum tua opera Fabio uti uolet. Ego res Romanas uehementer expecto, et desydero: imprimisque quid agas, scire cupio. nam iam diu propter hyemis magnitudinem nihil noui ad nos afferebatur. Vale.

M. T. C. M. COELIO ÆDILI CURVLI.

S. P. D. 15.

Non potuit accuratius agi, neque prudentius, quam actum est à te cum Curione de supplicatione: & meher

EPIST. FAM.

*mehercule confecta res ex mea est sententia, cum cele-
 ritate, tum quòdis, qui erat iratus, competitor tuus,
 & idem meus, assensus est ei, qui ornavit res nostras di-
 vinis laudibus. quare scito me sperare ea, quæ sequun-
 tur, ad quæ tu te par. Dolabellam à te gaudeo primum
 laudari, deinde etiam amari. nam ea, quæ speras, Tul-
 liæ meæ prudentia temperari posse, scio, cui epistolæ tuæ
 respondeant. Quid si meam legas, quam ego tum ex tuis
 literis misi ad Appium? sed quid agas? sic vivitur.
 Quod actum est, Diæ approbent. spero fore incundum
 generum nobis: multumq; in eo nostra humanitas adiu-
 nabit. Resp. me valde sollicitat. faveo Curioni, Cæsarem
 honestissime cupio. pro Pompeio emori possum: sed ta-
 men ipsa Repub. nihil mihi charius: in qua tu non val-
 de te iactas. districtus enim mihi videris esse, quòd &
 bonus civis, & bonus amicus es. Ego de provincia dece-
 dens quæstorem Cælium præposui provincie. puerum
 inquis? at, quæstorem, ac nobilem adolescentem, ac o-
 mnium ferè exemplum: neq; erat superior honore ullus,
 quem præficerem. Pontinius multo antè discesserat. à
 Qu. fratre impetrari non poterat: quem tamen si reli-
 quissem: dicerent iniqui, non me planè post annum, ut
 senatus voluisset, ex provincia decessisse: quoniam
 alterum me reliquissem. fortasse & illud adderent, Se-
 natum eos voluisse provinciis præesse, qui antea nò præ-
 fuissent: fratrem meum triennium Asia præfuisse. Deni-
 que nunc sollicitus non sum: si fratrem reliquissem, o-
 mnia timerem. Postremo non tam mea sponte, quàm po-
 tentissimorum duorum exemplo, qui omneis Cassios, An-
 toniosq; complexi sunt, hominem adolescentem nò tam
 allicere volui, quàm alienare nolui. hoc tu meum con-
 siliium laudes necesse est: mutari enim non potest. D. Os-
 cella*

cella parum planè ad me scripseras : & in actis non erat. Tuae res geste ita notae sunt, ut transmontem Taurum etiam de matrimonio sit auditum. Ego, nisi quid me Etesia morabuntur, celeriter (ut spero) vos videbo. Vale.

M. T. C. PROCONSVL COELIO

S. P. D. 16.

Magno dolore me affecissent tuae literae, nisi iam & ratio ipsa depulisset omnes molestias, & diuturna desperatione rerum obdurisset animus ad dolorem novum. Sed tamen quare acciderit, ut ex meis superioribus literis id suspicari, quod scribis, nescio. Quid enim fuit in illis, praeter querelam temporum, quae non animum meum magis sollicitum haberent, quam tuum? nam non eam cognovi aciem ingenij tui, quod ipse videam, te id, ut non putè videre. Illud miror, adduci potuisse te, qui me penitus nosse deberes, ut me existimares aut me tam improvidum, qui ab excitata fortuna ad inclinatam, & propè iacentem desciscere: aut tam inconstantem, ut collectam gratiam florentissimi hominis effunderem, à meque ipse deficerem, & quod initio, semperque fugi, civili bello interesset. Quid est igitur meum triste consilium? ut discederem fortasse in aliquas solitudines. nosti enim non modo stomachi mei, cuius tu similem quondam habebas, sed etiam oculorum in hominum insolentium indignitate fastidium. Accedit etiam molesta haec pompa licitorum meorum, nomenque imperij, quo appellor, eo si onere carerem, quamvis parvis Italiae latebris contentus essem. Sed incurrit hac nostra laurus non solum in oculos, sed iam etiam in vultus malenolorum. quod cum ita esset,

D

set,

EPIST. FAM.

set, nihil tamen unquā de profectione, nisi vobis appro-
bantibus, cogitavi. Sed mea prædiola tibi nota sunt :
in his mihi necesse est esse, ne amicis molestus sim. Quod
autem in maritimis sum, facile moneo nonnullis suspi-
cionem, velle me nauigare : quod tamen fortasse nō nul-
lem, si possem ad ociū : nam ad bellum quidem qui
cōhenerit ? præsertim contra eum, cui spero me satis fe-
cisse : ab eo, cui tamen satis fieri nullo modo potest. Dein-
de sententiam meam tu facilius perspicere potuisti iam
ab illo tempore, cum in Cumanum mihi obuiam veni-
sti : non enim te celavi. Sed non ne tum providisti, quā
abhorrerem ab urbe relinquenda ? quod cum audis-
sem, nonne tibi affirmavi, quidvis me potius perpos-
surum, quā ex Italia ad bellum civili exiturum ?
Quid ergo accidit, cur consilium mutarem ? nōne
omnia potius, ut in sententia permanerem ? Cre-
das hoc mihi velim, quod puto te existimare, ex his
miseriis nihil aliud me querere, nisi ut homines aliquā-
do intelligant, me nihil maluisse, quā pacem : ea de-
sperata nihil tam fugisse, quā arma civilia. Huius me
constantie puto fore, ut nunquam poeniteat. Etenim
meum in hoc genere gloriari solum esse familiarem
nostrum Q. Hortensium, quod nunquam bello civili in-
terfuisset. Hoc nostra laus erit illustrior, quod illi tribue-
batur ignavia : de nobis id existimari posse non arbi-
tror. Nec me ista terrent, quæ mihi à te ad timorem
fidelissimè atque amantissimè proponuntur. Nulla est
enim acerbitas, quæ non omnibus hac orbis terra-
rum perturbatione impendere videatur, quā quidem
ego à republica, meis privatis & domesticis incom-
modis libentissimè, vel istis ipsis, quæ tu me mones
ut caveam, redemissim. Filio meo, quem tibi charum
esse

esse video, si erit ulla respub. satis amplum patronum
 & linguam memoriam nominis mei: sin autem nulla
 erit nihil accidet ei separatim à reliquis ciuibus. Nam
 quod rogas, ut respiciam generum meum adolescentem,
 optimum, mihiq; charissimum: an dubitas, cum scias
 quanti cum illum, tum verò Tulliam meam faciam,
 quin ea me cura vehementissimè sollicitet? & cò magis,
 quod in communibus miserijs hac tantum obletabar
 specula. Dolabellam meum, vel potius nostrum, vide-
 bam fore ab ijs molestijs, quas liberalitate sua contra-
 xerat, liberum. Velim queras quos ille dies susti-
 nuerit, in urbe dum fuit, quàm accrbos sibi, quàm mi-
 hi ipsi socero non honestos. Itaque neque ego hunc Hi-
 spaniensem casum expecto, de quo mihi exploratum est,
 ita esse, ut tu scribis: nec quicquam astutè cogito. Si
 quando erit ciuitas, erit profectò nobis locus: sin autem
 non erit, in easdem solitudines tu ipse (ut arbitror) ve-
 nies, in quibus nos consedissee audies. Sed ego fortassis
 vaticinor: & hæc omnia meliores habebunt exiis.
 Recordor enim desperationes eorum, qui senes erant a-
 dolescente me. Eos ego fortasse nunc imitor, & utor eta-
 tis vitio. Velim ita sit. Sed tamen togam prætextantem
 texi Oppio, putote audisse. Nam Curtius noster diba-
 phum cogitat, sed cum infector moratur. Hæc aspersi,
 ut scires me tamen in stomacho solere ridere. De Do-
 labella quod scripsi, suadeo videas, tanquam si res tua
 agatur. Extremum illud erit, nos nihil turbulenter, ni-
 hil temere faciemus. Te tamen oramus, quibuscunque
 erimus in terris, ut nos liberosq; nostros ita tueare, ut
 amicitia nostra & tua fines postula-
 bit. Vale.

EPIST. FAM.

M. T. C. CANINIO SALVSTIO
PROQVÆSTORI

S. P. D. 17.

Literas à te mihi stator tuus reddidit Tarsi ad XVI. Calend. Sextileis. His ego ordine, ut videris velle, respondebo. De successore meo nihil audiui: nec quenquam fore arbitror. quin ad diem decedam, nulla causa est, præsertim sublato metu Parthico. Commemoraturum me nusquam sanè arbitror. Rhodum Ciceronum causa puerorum, accessurum puto: nequid tamen certum est. Ad urbem volo quamprimum venire: sed tamen iter meum Reipub. & rerum urbanarum ratio gubernabit. Successor tuus non potest ita maturare ullo modo, Ut tu me in Asia possis convenire. De rationibus referendis non erat incommodum te nullam referre, quam tibi scribis à Bibulo fieri potestatem: sed id vix mihi viderit per legem Iuliam, facere posse, quàm Bibulus certa quadam ratione non servat, tibi magnopere servandum censeo. Quod scribis, Apamea præsidium deduci non oportuisse, videbam idem ceteros existimare, molesteq; ferebam de ea re minus commodos sermones maleuolorum fuisse. Parthi transferint nec ne, præter te, video dubitare neminem: itaque omnia præsidia, quæ magna, & firma paraueram, cōmotus hominum non dubio sermone demisi. Rationes mei quæstoris nec verum fuit me tibi mittere, nec tum erant confectæ: eas nos Apameæ deponere cogitabamus. De præda mea pter quæstores urbanos, id est, populum. Romanum teruncium nec attigit, nec tacturus est quisquam. Laodiceæ me prædis accepturum arbitror omnis pecuniæ publicæ: ut & mihi, & populo

can-

cautum sit sine vectura periculo. Quod scribis ad me de drachmis CCCIDDD. nihil est quod in isto genere cuiquam possim commodare. Omnis enim pecunia ita tractatur, ut praeda à praefectis, quae autem mihi attributa est, à quaestore curetur. Quod quaeris, quid existimem de legionibus, quae decretae sunt in Syriam, antea dubitabam venturae ne essent, nunc mihi non est dubium, quin, si antea auditum erit otium esse in Syria, venturae non sint. Marium quidem successorem tarde video esse venturum: propterea quod Senatus ita decrevit, ut cum legionibus iret. Vni epistola respondi, venio ad alteram. Petis à me, ut Bibulo te quam diligentissime commendem: in quo mihi voluntas non deest: sed locus videtur esse tecum expostulandi. Solus enim tu ex omnibus, qui cum Bibulo sunt, certior me nunquam fecisti, quam valde Bibuli voluntas à me sine causa abhorreret. Per multi enim ad me detulerunt, cum magnus Antiochiae metus esset, & magna spes in me atque in exercitu meo, solum dicere, quidvis se perpeti malle, quam videri eguisse auxilio meo, quod ego officio quaestorio te adductum reticere de praetore tuo non moleste ferebam: quanquam, quemadmodum tractarere, audiebam. Ille autem cum ad Thermum de Parthico bello scriberet, ad me litteram nunquam misit, ad quem intelligebat eius belli periculum pertinere. Tantum de auguratu filij sui scripsit ad me, in quo ego misericordia commotus, & quod semper amicissimus Bibulo fui, dedi operam, ut ei quam humanissime scriberem. ille si omnibus est malenolus, quod nunquam existimaui, minus offendor in me: si à me est alienior, nihil tibi litterae meae proderunt. Nam ad Senatum, quas Bibulus litteras

D 3 misit

EPIST. FAM.

misit, in ijs quod mihi cum illo erat commune, sibi soli attribuit: se aut curasse, ut cum quaestui populi pecunia permutaretur: quod autem meum erat proprium, ut alarijs Transpadanis uti negarem, id etiam populo se remisisse scribit: quod verò illius erat, solius id mecum communicat: equitibus auxiliarijs egere se inquit, cum amplius frumenti postularemus. Illud verò pusilli animi. & ipsa malevolentia ieiunt atque inanis, quod Ariobarzanem, quem Senatus per me regem appellauit, mihiq; commendauit, iste in literis non regem sed regis Ariobarzanis filium appellat. Hoc animo qui sunt, deteriores fiunt rogati. Sed tibi morem gessi: literas ad eum scripsi, quas cum acceperis, facies quod voles. Vale.

M. T. C. IMPERATOR, QV. THER-
MO PROCVRATORI
S. P. D. 18.

OFFicium meum erga Rhodonem, ceteraq; mea studia, quae tibi ac tuis prestiti, tibi homini gratissimo grata esse vehementer gaudeo: mihiq; scito indices maiori cura esse dignitatem tuam: quae quidem à te ipso integritate & clementia tua sic amplificata est, ut nihil addi posse videatur. Sed mihi magis, magisq; quotidie de rationibus tuis cogitanti, placet illud meum consilium, quod initio Aristoni nostro, ut ad me venit, ostendi, graueis te suscepturum inimicitias, si adolescens potens, & nobilis, à te ignominia affectus esset: & hercle sine dubio erit ignominia: habes enim neminem honoris gradu superiorem. Ille autem, ut omnem nobilitatē, hoc ipse vincit viros optimos, hominesq; innocentissimos legatos tuos, quod & quaestor est, & quaestor

stortuus. Nocere tibi iratum neminem posse perspicio: sed tamen treis fratres summo loco natos, promptos, non indisertos te nolo habere iratos, praesertim iure, quos video deinceps tribunos pleb. per triennium fore. Tempora Reipub. qualia futura sint? quis scit? mihi quidem turbulenta videntur fore. Cur ego te velim incidere in terrores tribunitios? praesertim cum sine cuiusquam reprehensione legatis quaestorem possis ante ferre. Qui si dignum se maioribus suis prabuerit, (ut spera & opto), tua laus ex aliqua parte fuerit: sin quid offenderit, sibi totum, nihil tibi offenderit. Quae mihi ueniebant in mentem, quae ad te pertinere arbitrabar, quoad in Ciliciam profisciscatur, existimaui me ad te oportere scribere. Tu quod egeris, id velim Di approbent. Sed si me audies, vitabis inimicitias, & posteritatis otia consules. Vale.

M. T. C. IMPERATOR, C. COE-
LIO L. FILIO S. P. D. 12.

Cum optatissimum nuncium accepissem, te mihi quaestorem obtigisse, eo incundiores mihi eam sortem sperabam fore, quod diutius in provincia mecum fuisses. Magni enim videbatur interesse, adeam necessitudinem, quam nobis fors tribuisset consuetudinem quoque accedere. Postea cum mihi nihil neg, à te ipso, neque ab ullo alio de aduentu tuo scriberetur, verebar, ne id ita caderet quod etiam nunc vereor, ne antequam tu in provinciam venisses, ego de provincia decederem. Accepi autem à te missas literas in provincia, cum essem in castris, ad XII. Cal. Quintileis scriptas humanissime: quibus facile & officium & ingenium tuum perspicui possit: se neque unde, neque quo die data essent, aut

D 4 quo

EPIST. FAM.

quo tempore te expectarem, significabant: nec is, qui attulerat, à te acceperat, ut ex eo scirem, quo loco, aut quo tempore essent data. Quaecum essent incerta, existimavi tamen esse faciendum, ut ad testatores meos, & lectores cum literis miterem: quas si satis opportuno tempore accepisti, gratissimum mihi feceris, si ad me in Ciliciam quamprimum veneris. Nam quod ad me Curius consobrinus tuus, mihi ut scis, maximè necessarius, quod item consul Virginius propinquus tuus, familiarissimus noster, de te accuratissimè scripsit, valet id idem apud me multum, sicuti debet hominum amicissimorum diligens commendatio: sed tuæ literæ de tua præsertim dignitate, & de nostra coniunctione maximi sunt apud me ponderis. Mihi questor optatior obtingere nemo potuit. Quamobrem quæcumq; a me ornamenta in te proficiscuntur, elaborabo, ut omnes intelligant à me habitam esse rationem tuæ, maiorumq; tuorum dignitatis. Sed id iam facilius consequar, si ad me in Ciliciam veneris, quod ego & mea, & Reip. & maximè tua interesse arbitror. Vale.

M. T. C. EPISTOLARVM FAMILIARIVM LIBER III.

M. T. C. APPIO PVLCHRO IM-
PERATORI S. P. D. I.



I ipsa Respublica tibi narrare posset, quo modo sese haberet, non facilius ex ea cognoscere posses, quàm ex liberto tuo Phania: ita est homo non modò prudens, verum etiam, quod vidi, curiosius, quapro-